

1482 Comaclum, ad locum venit, quem *Divum Albertum* vocant, tantundem pene aquarum, quantum ex Vatreño acceperat, temere effundit, quæ per stagna Ravennam progressæ, navigabili fluvio in mare dilabuntur: atque ita Ravennæ portus unum ex Padi ostiis dici potest. Reliqua pars, ac longe major, ex Alberto recto ferme cursu in mare evolvitur, ejusque ostium *Primarium* accolæ appellant, olim Vatrenum dictum, a fluvio qui se illi, ut diximus, insinuat. Læva pars Ferrariensis divortii, eo aquarum impetu, quo ab urbe digreditur, non amissis, non auctis viribus, in mare decurrit: ejusque ostium *Volanem* vocant; inter hoc & *Primarium*, cujus proxime mentionem feci, Comaclina stagna ostium habent, immo portum potius, quem *Magnavaccam* appellant. Sed æstuarioria maris illa sunt, quod ex falsis concretione datur intelligi. Redeo ad primam illam fluminis scissuram, quam paululum infra Ficarioli mœnia fieri diximus. Eam ut recentem esse existimem, non tam Ruberti, Neapolitani Regis, & Francisci Petrarchæ Italiæ figuratio facit, in qua id Padi divortium neutiquam fuisse Forlivienfis Blundus affirmat, quam Polybii, summi viri, auctoritas: qui duobus ostiis Padum in Hadriacum exire tradidit, Padusa & Volane, quæ ad eum fluvium, cujus proxime mentionem fecimus, attinere non est dubium. Sed nunc ad reliquam partem redeo, que ad lævam inclinans cursum, sine aliquo majore detrimento in Hadrianos fines usque decurrit. Hic vero bifariam scissus, minor pars ad dextram flectens, ipsam pene Hadriam alluit, ac priusquam pelagus attingat, duobus ostiis in mare elabitur. Id quod Volanæ propinquum est, *Abbatis* vocatur; reliquum vero *Gorium*, majoris fluminis ostium, quod Hadriæ sinistrum in mare decurrit, *Fornaces* accolæ appellant. Et hæc de Padi ortu, deque ejus cursu & ostiis; ipsum flumen ideo Padum quidam appellatum crediderunt: quia circa ejus fontem multa arbor scirpea sit, quæ *Pades* Gallice vocetur. Plinius *Bondincum* quoque, quasi fundo carentem, Ligustica lingua dictum affirmat; atque